

FA 137.095 (1-12)

*Les deux volumes à la Bibliothèque  
de J. A. Dupin. Le des autres  
reçoit de la Bibliothèque de la*



Este libro perteneció a la Librería  
de S. R. Definito. Lo dió la Car-  
tesa de Valde Chusco año de 1632.

Les livres appartenant à la bibliothèque  
de M. de la Roche-Aymon, la dite bibliothèque  
est à la bibliothèque de la ville de Paris.



IOSEPHI STEPHANI  
VALENTINI DOCTORIS  
THEOLOGI ORATIO

In die Cinerum habita coram S. D. N. D.  
GREGORIO XIII. Pont. Opt. Max.  
& Amplissimo Patrum senatu.

A D

*I L L V S T R I S S I M V M*  
& *Reuerendissimum D. Philippum*  
*Boncompagnum S. R. E. Presby-*  
*terum Card. Maioremque*  
*Pœnitentiarium.*



SVPERIORVM PERMISSV.

---

R O M A E,

*Ex Typographia Bartholomæi Bonfadini, &*  
*Titii Diani. M D L X X X V.*

117510235



ILLVSTRISSIMO  
 ET REVERENDISSIMO  
 D. PHILIPPO S. SIXTI S. R. E.  
 PRESBYTERO CARD. AMPLISS.  
 MAIORIQ. PÆNITENTIARIO.



*P*EC, quæ de pœnitentia, pœni-  
 tentia tempore in sacello pon-  
 tificio habita fuit oratio, Car-  
 dinalis Amplissime, tibi maio-  
 ri totius orbis pœnitentiaro  
 debetur. Cui præter nominis  
 splendorem & laudem, hoc etiam munus, quod  
 à Sanctissimo GREGORIO XIII. pa-  
 truo tuo impositum sustines, magnas quoque tuæ  
 dignitatis accessiones fecit. In quo cum ita te  
 geras, ut in sacris de more peragendis, religio-  
 ne, pietate, deuotione singulari omnibus sis ad-  
 mirabilis; ex eo te impensius colere, & tuam gra-  
 tiam pro mea tenuitate ingenij, demereri conni-  
 tor. Quod cum facio, et tuæ in me audiendo atten-  
 tionis, & meo erga Amplitudinem tuam studio  
 aliqua ex parte responsum credo. Vale.

Romæ VIII. Id. Mar. 1585.

Tuæ Amplitudini deditissimus seruus

Josephus Stephanus Valentinus.

# IOSEPHI STEPHANI VALENTINI DOCTORIS THEOLOGI ORATIO.



I diuina aliqua vis est, quę franos imponere voluptati, eamq; errantem ac vagam, rectis limitibus includere: aut si quę virtus incorruptam animi nostri integritatem retinere potest B.P. hęc profectò pœnitentia est; per quam non mo

do enitimur & eluctamur aduersus blandimenta corporis, sed etiã labem vitę prioris abolemus; vt calcatis terrenis omnibus, Deo patri recõciliari possimus. Qui cum sit indulgētissimus Dominus, [ & Diues in misericordia ] nō aliter peccatores à priori scelerū insania castigatos excipit, quàm solēt parētes liberos suos, cū eos delictorum cernunt pœnitere, & correctos arbitrātur, abdicatos, abiectosq; rursus tamen amplecti. Quod Hieremias, vt hanc Dei erga peccatores benignitatem indicaret, expressit his verbis. [ In fletu veniēt, & in precibus reducam eos, & adducam eos per torrētes aquarum in via recta, & non impingent in ea: quia factus sum Israeli pater, & Ephraim primogenitus meus est ] Videtur certe Propheta sanctissimus in hoc loco, viã rectam fletum, siue pœnitentiam appellasse, per quam regno Dei appropinquamus; peccata verò cum aquarum torrentibus aptissime contulisse. Qui cum à prin

Rom. 10  
Ephc. 2.

Hier. 31

Mar. 1.  
Luc. 10.

cipio leniter effluant ac utcumque puri interlabantur, mox verò, quò longius progrediuntur, eò maiori feruntur impetu; & plus sordium colligunt: Sic peccata specie primùm voluptatis blandiuntur animis, tùm sese mollitè nobis insinuant, donec tandem, intolerabili aqua, peccatores præcipites ac transuersos agant.

Quibus planè illud idem subsidij genus reliquum est, quod nauigantibus solet esse propositum. Qui cum in altum vi ventorum subuehantur, vix ut emergendi habeant facultatem, primum ad opem diuinam implorandam concurrunt; deinde tabulam nacti, in ea vitæ suæ perfrugium situm esse intelligunt: eadem profus ratione, qui ex via virtutū abscesserit, aut libidinibus, tanquàm intempestiuus ventis vela permiserit, veniam à Deo deprecari debet, & pœnitentiæ tanquàm naufragum tabulæ fortiter insistere; vt ex magna tempestate euadat, & in salutis portum, diuinæ misericordiæ aura inuehatur. Enimuero cum ne vllus quidem nostrum possit esse tam cautus ac prudens, qui aliquò nō incurrat ac labatur; idcirco Dominus nostræ imbecillitatis conscius, pro sua pietate, nobis aperuit portum salutis, vt infirmitatibus nostris, quibus fragilitas nostræ naturæ subiecta est, medicina pœnitentiæ subueniret. Quæ cum consilij mentisq; mutationem includat, atque etiam dolorem, siue vt ait Paulus [Tristitiam quæ secundum Deum est,] iure per eam homines à peccatorum insania reuocari debent, ne grauiori ruina oppressi, rursus in Dæmonis laqueos inducantur.

1. Cor. 7  
S. Pacianus in

Si enim muta animalia, quæ fraude capiuntur, si quo

quo se modo in fugam extricauerint, fiunt post modū  
cautiora, vitantq; semper omnia, in quibus dolos insi-  
dialque senserunt: quanto æquius erit nos homines à  
voluptatum illecebris animum auocare, vt iustissima  
pœnitentiæ castigatione expoliti, rectà ad Deum euo-  
lare possimus? Nam quis nostrum, nisi prorsus omnē  
humanitatem exuerit, si finem euadēdi à periculis in-  
ueniat, denuò in eadem sese inferet pericula? Aut quis  
miles emeritus post impetratam laborū suorum quietem,  
campum, castra, stationes militares, excubias, du-  
ritiem operum, vim denique mortis extremam, otio  
& quieti anteponet? At nos miserissimi in eadem relabi-  
mur mala, è quibus euasimus, & denuò pœnitētia fun-  
cti, quod in nobis per Dei gratiam extractum erat, ite-  
ratione delicti subuertimus.

Nullus tamen ob eam causam cadat animo, aut de  
seipso desperet; cū Dominum clementissimum ha-  
beamus, qui nos scelerum conscientia pauidos è me-  
dijs fluctibus efferet, qui nostra delicta condonabit,  
qui per ministros reconciliationis suæ reducet in  
gratiam. [Erat Deus in Christo, ait Paulus, mundum  
reconcilians sibi, non reputans peccata illorum.] Insi-  
gnem Domini lenitatem, ac mansuetudinem singula-  
rem expendamus. Per quam tantum abest, quod suæ  
vindicandæ iniuriæ causa, hominum consuetudinem  
congressumq; refugiat; quàm quod etiam legatos sup-  
plices mittat, qui pacem, à pacis ruptoribus postulent,  
amicitiam & reconciliationem, Dei nomine, qui of-  
fensus est, impēsiūs exorent. [Legatione,] inquit Apo-

*paranesi  
ad peni-  
tentiam.  
Lactan-  
tius lib.  
6.*

*Tertull.  
de peni-  
tentia.*

*2. Cor. 5.  
ad quod  
lib. 10.*

*2. Cor. 5.*

stolus

*Chryso-  
stom<sup>o</sup> de  
Ascē-  
sione domi-  
ni, & Ho-  
mil. 11. in  
cap. 5. 2.  
ad Cor.* stolus, [pro eo fungimur tāquam Deo exhortante per  
nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.]  
Exorat Paulus, immo verò ipsemet Christus, qui viue-  
bat in Paulo. Adhortatur Pater misericordiarū, & Deus  
totius consolationis, vt referamus pedem, & redeamus  
in viam. Spiritus sanctus à nobis postulat gemitibus  
inenarrabilibus, vt amicitia cum Deo inire velimus.

*S. Pacia-  
nus epi-  
sto. 1. ad  
Sympro-  
nianum  
Nicepho-  
rus lib.  
8. cap.  
20.  
Sozome-  
nus lib.  
7. cap.  
6.  
Nicepho-  
rus lib.  
12. c. 28* Huic tamen reconciliationis muneri, quod omni-  
bus Apostolis erat iniunctum, Romanam hāc & Apo-  
stolicam sedem, quæ tibi B. P. in præsentia est diuini-  
tus credita, egregiè satisfecisse, satis apertè illa funesta  
tempora Nouati testantur. In quibus dum pœnitentia  
ab hæreticis fuisset diuexata, solus Cornelius Bea-  
tissimus Pontifex, qui ad clauum huius sanctę nauicu-  
læ gubernator sedebat, eam asseruit, illamq; multis ca-  
lumnijs irrisam & impugnatam excepit. Ille enim di-  
sciplinam diuinæ misericordiæ pœnitentibus iniun-  
xit. Idem, vt veteres memoria prodidere, Pœnitentia-  
rios in hac sancta Vrbe, & in toto orbe primus insti-  
tuit, qui reis peccata condonarent. Idem per lacrymas  
impunitatem proposuit. Idem de habitu pœnitentiū,  
& victu præscripsit, sacco & cineri incubare, corpus sor-  
dibus affligere, animum mœroribus deijcere, lacry-  
mari, ingemiscere, presbyteris aduolui, aris Dei geni-  
culari, sordidatos macie ieiunij, asperitate sacci, & hor-  
rore cineris obuolui.

O nos fœlices, qui veterem illam Ecclesiæ faciem  
hodierna die viuam, ac spirantē intuemur. O nos mi-  
ferrimi, si hoc tempus nostræ indulgentiæ indictum  
negli-

negligimus. Illuxit iam acceptabile tempus, in quo cal-  
canda à nobis sunt irritamenta gulę, vitiorum illece-  
brę, turpis luxus, blandę corporis voluptates, omnis de-  
nique morum lasciuia ieiunijs extinguenda. Illuxit tē-  
pus, in quo non est in incertum currendum, aut verbe-  
randus est aer; sed rebellatricis carnis incontinētia, cor-  
poris castigatione elidenda. Quod vt facilius præstare  
possemus, Christus legislator ac doctor formulam ieiunandi nobis præscripsit his verbis: [Cum ieiunatis, no-  
lite fieri sicut hypocritę tristes.] 11. Cor. 9  
Matt. 6


Hypocrisis de Diaboli disciplina descēdit. Ille enim  
primus luminis & claritatis hostis, cum spiritum ho-  
minis malitia transfigurasset, corpus quoque mutare  
monstrauit. Ille faciem fictam gestare, mentiri effigię,  
humanam laudem aucupari inani ostentatione pallo-  
ris, lineamenta oris inuētere, aliud denique clausum  
in pectore, aliud promptum in lingua habere docuit.  
Erubescat Christianus, ab aduersario Domini artes fal-  
lendi percipere, cū ab hoste Imperatoris nostri arma mu-  
tuari transgressio sit. Christus verò in hoc Euāgelio, vbi  
ieiunij forma præscribitur, maxime Hypocritas dete-  
statur: quia cum veri iudicium tollant, & virtutem  
adulterent vitam mollem ac voluptuariam agunt; im-  
mo verò si semel lapsi fuerint, vix suam culpam agno-  
scent, aut deprecabūtur veniam, cum fictę pietatis stu-  
dio intumescant. Tertull.  
de. uel.  
samma-  
rum.

Procul igitur sit profana simulatio, procul hypo-  
crisis, solamque mentis alacritatem, simplicitatē cor-  
dis, gloriosi huius temporis socias & comites aduoce-  
mus.


mus. Quibus virtutibus si nostra ieiunia condiantur, haud dubium profectò erit, quin in cœlestem illâ patriam euehi, & inter legiones Angelorum inferri possimus. Vbi esui potuiq; locus non erit, vbi officia ista membrorum, quæ nunc ieiunij castigatione subiguntur, omnino vacabunt: dicente Paulo, [Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc, & has destruet.] Quamobrem contendendum est ex animo, vt illud quod in æternitate futurum est, hodierna die ieiunij inchoemus; illiusque vitæ formam & lineamenta deducamus in animo, vim etiam ori & stomacho inferamus, vt super cœlesti illo regno potiri possimus:


[Quod non est esca & potus; Sed iustitia, pax,] quies, tranquillitas, [gaudium in Spiritu Sancto.] Amen.

F I N I S.









Conciones

habiteq

in

Majori Carta